

qui malle, quàm decem millia, quæ non intelligantur. Verba Pauli sunt, Qui non potest continere nubat. Negant cēsores de eius mēte esse. Perinde ac si negarent esse de mente Mosis, in principio Deum creasse cælum & terram. Ipsi vero sic loquendo, clare demonstrant, non modo sensus communis se esse expertes, sed cerebro quoque vacuos, bis desipere. Quòd addūt, præsupponere hæresim si generaliter intelligatur: nō tam inscitiam suam, quàm rabiem produunt. Vertenda enim essent elementa si quis ad generalē sensum trahere uellet. Aperte enim ostēdit propositio, aliquos esse dono cōtinentiæ præditos. Alioqui dicendū foret, Nubāt omnes, quia non datū continere. Pauli autem verba, quibus usus sum, quosdā specialiter designāt. Porro non omnibus promiscuum esse continentia donum, Christus ipse pronuntiat, Matth. 19. b. 11, Non omnes, inquit, capiunt verbum istud. Et Paulus 1. Cor. 7. b. 7, Vnusquisque proprium habet donum: vnus sic, alius autē sic, de continentia enim disputat. Quænam fiat Deo iniuria, cū dicitur cōtinentiæ gratiam non omnibus dare, sed quibus visum est, scire velim. Votorum temeritas si